(6)

DE

CARCINOMATE

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS AC DIRECTORIS SPECTABILIS AC PERILLUSTRIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM DOMINORUM PROFESSORUM PRO DOCTORIS LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS IN ALMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE HUNGARIAE PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

MATHIAS TREMPACHER

HUNGARUS BÁTTASZÉKINO-TOLNENSIS.

Theses adnexae publice defendentur in Palatio Universitatis maiori die 2. Junii 1837.

BUDAE,

TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

— — Leiden mindern,
Leben retten, Unglück hindern,
Thränen troknen, Schmerzen lindern;
Unlust und Gefahr nicht achten,
Nie nach eignem Vortheil trachten,
Undank nicht scheu'n, nicht Beschwerden;
Also sei der Arzt auf Erden;
W o wird Lohn dafür ihm werden.

K. G. Neumann.

ILLUSTRISSIMO

DOMINO DOMINO COMITI

CAROLO ESZTERHÁZY

DE GALANTHA

PERPETUO COMITI IN FRAKNÓ, SACR. CAES. ET REG. APOST. MAIESTATIS CAMERARIO, INCL. COMITATUS TOLNENSIS SUPREMO COMITI

etc. etc.

VIRO

ERUDITIONE, BENEVOLENTIA, NOBILITATE

CLARO

LITTERARUM ET ARTIUM FAUTORI ET

PROMOTORI INDEFESSO,

MAECENATI SUO MUNIFICENTISSIMO,

IN PIGNUS PROFUNDISSIMAE VENERATIONIS

ET PERENNIS GRATITUDINIS

TENUES HAS PAGELLAS

OFFERT

AUCTOR.

GENERALIA DE CARCINOMATE.

§. 1. CANCER, Carcinoma, Carcinus, Noli me tangere, Lupus cancrosus, Ulcus cancrosum, Cacoëthes, Chironeum, Telephium, Phagedaena (Swediaur) Keloides; (Alibert) Hung. *Fene*, *Rák*, *Rákfene;* Germ. *Krebs*, verborgener und offener Krebs, Krebsgeschwür; morbus ille nuncupatur, qui plerumque tumore et induratione partis cujusdam glandulosae corporis animalis incipit, quae initio parum circumscripta sensilis est, deficiente auxilio aut sibi relicta mole augetur, ultimoque in ulcus vertitur foedum, quod et in vicinarum partium similem nititur desorganisationem. — Consistit malum hoc in peculiari ac specifica degeneratione et exulceratione partis cujusdam glandulosae, oriturque vel idiopathice e praegresso videlicet scirrho, vel et dispositione carcinomatosa organismo vallidius impacta et sympathice ex aliis etiam levioribus adfectionibus e. g. induratione simplici, ulceribus male tractatis.

§. 2. Observatur morbus hic in partibus organismi illis, quae partes glandulosas recondunt, praecipue in labiis, lingua, mammis, utero etc. Ut tamen adfectio primaria sequentia amat organa cutim, textum cellulosum, membranas mucosas, glandulas, nunquam adficit primarie cartila-

gines, tendines, ligamenta articularia, membranas serosas, musculos, licet et haec organa per praesens carcinoma sympathice adfici possunt. Secundarie accedit ad omnia ulcera chronica, hyperorganisationes, excrescentias, quae vel pressione vel irritatione in partes vicinas glandulosas agunt, incongruum et affectionem expositarum tractamen genesi Carcinomatis favet.

§. 3. In genesim Carcinomatis tam primarii quam secundarii potentiae tam externae quam et internae jam seorsim jam et simul agentes conspirant. Requiritur peculiaris ad hunc morbum dispositio, quae saepe haereditate acquisita, saepe congenita, jam et per influxum potentiarum nocentium sub decursu vitae evolvitur. Influit in dispositionem hanc aetas, sic in infantibus teneris evolvitur species cancri peculiaris, cancer aquaticus s. noma quae in labiis sedem figit, et nisi mature impugnetur, labia, dentes imo et maxillam inferiorem devastat; in adolescentia sub specie fungi haematodes comparet, scirrhus autem et cancer medullaris frequentissime aetate provectiore, utplurimum inter 40 - 60 annum comparent. Dispositio frequentior apud faeminas quam viros, evolvitur autem frequentissime ea vitae periodo ubi vita sexualis jam languere incipit, amor nimius spirituosorum, praecipue apud faeminas sortis inferioris diathesim accelerant. Maximum denique in evolvenda dispositione ad carcinoma habent animi affectus excitantes influxum, qui per irritatum systema nervosum, in systema vasorum et glandulosum ita agunt, ut carcinomatis genesi faveant, unde et carcinomate adfecti magis deprehunduntur irritabiles.

§. 4. Ad causas excitantes internas carcinomatis referri merentur: Morbi peculiares systematis lymphatici praecipue dyscrasiae quaedam: Arthritis, syphilis, scrofulae, evacuationum habitualium suppressio, sic menstruorum, haemorrhoidum, secretionis lactis, in genere profluviorum cru-

entorum et mucosorum retentio, animi affectus jam excitantes, jam deprimentes: Moeror, tristitia, curae, gaudium nimium, ira; abusus alimentorum nimio aromate conditorum, sale multo refertorum, digestu difficilium, abusus potuum spirituosorum praecipue cremati, remediorum stimulantium, motus corporis vallidus, vita sedentaria, refrigerium, incalescentia pervigiliae graviditas frequens, exanthematum retropulsio, aër impurus humido — frigidus, ulcerum chronicorum repentina sanatio, hysteria, hypochondria. — Causis externis adnumerantur: Pressio partis induratae per vestes angustas, theracula foeminarum, ictus parti induratae illati, hujus morsus, frictio, ope remediorum stimulantium irritatio, excrescentiarum cutanearum e. g. clavorum abscissio, adplicatio pessariorum, coitus rudis. In Anglia observatur in purgatoribus caminorum, a fumo lithanthracum in scroto excitari speciem quandam inflammationis, in cujus sequelam exoriuntur verucae, tubercula parva, quae successive dolorifica evadunt, inque ulcus foedum carcinomatosum vertuntur.

§. 5. Quod causam carcinomatis proximam attinet haec adhuc penitus est ignota, materiam carcinomaticam, quae organismo adplicita carcinoma in parte adfecta produceret existere nullatenus comprobatum est; nec assertum cel. Löhr, qui causam proximam scirrhi in degeneratione peculiari succi genitalis sitam esse statuit, experientia comprobavit. Summe probabiliter dispositio quaedam peculiaris in organismo animali evolvitur, qua praesente cacochymia haec carcinomatosa, praesente quadam induratione ut causa excitans in evolutionem carcinomatis agit.

§. 6. Cancer in occultum seu Scirrhum malignum et apertum seu ulcerosum dividitur.

Cancer Occultus.

Scirrhus malignus.

§. 7. In omni parte corporis incipit cum aliqua duritie, forma turberculi initio parvi, sensim increscentis, subinde in molem monstrosam elevandi. Tumor hic durus, sub exordio frigidus est, cuti concolor, mobilis, aequabilis, non sensilis, nisi forte refrigerio, pressione, abusu spirituosorum, corpore et animo vehementer commoto irritetur, tum comparent in parte illa tumida dolores jam pungentes, jam urentes, periodici. Tumor durus, per menses imo annos in eodem permanet statu, nec functiones organismi turbat, nisi quod pressione mechanica motum partis et circulationem ejus liberam impediat. Dolores antea periodici nunc intenduntur, continui fiunt, diu noctuque seviunt, excitant sensum molestissimum pruritus, ardoris, saepe sunt pungentes, terebrantes, scindentes, aegri accusant sensum acsi aculis pungerentur, acsi partem adfectam continuo carbo candens ureret, acsi pars infirma canibus morderetur. Tumor sensim durior immobilis fit, inaequalis, tuberosus polligonus, cum cute vicinisque musculis concrescit, vasa circa eum varicose tument, nigricantia sunt, cutis normali colore privatur, fitque initio emminenter rubra, mox plumbei, tum fere nigri coloris, calor partis adfectae et objectivus augetur, cutis attenuatur nimium, tensa est, splendet, rupturam minatur quin tamen fluctuatio, quin potius lapidea saepe tangatur durities.

§. 8. Diagnosis recta Scirrhi maligni multis saepe premitur difficultatibus, ob similitudinem nimiam cum multis aliis tumoribus, tam ratione symptomatum, quam et causarum; momentis tamen anamnesticis, pathognomonicis et pathogeneticis rite inter se pervestigatis, habita ratione durationis, habitus externi eoque, quod tumor ad solventium remediorum et efficacissimorum adplicationem non

emendetur, sed potius exasperetur, determinatio morbi justa facilis.

§. 9. Ope Anatomiae Pathologicae sequens scirrhi maligni apparet structura. Scirrhus omnis componitur e duplici substantia, una duriore, quae efformat partim fibras, partim lamellas, utplurimum alboopacas, in medio adest qua centrum nucleus durior, e quo radiorum instar partes fibrosae, laminosae egrediuntur, dissepimenta constituentes, quae loculamenta efformant, cellulas, cavernas diversae magnitudinis ac figurae; in his loculamentis reperitur substantia alia mollior, utplurimum coloris alboflavescentis, similis gelatinae vel cornu emollito, saepe et substantia medullaris cerebri simillima, ideo et substantia cerebralis vel encephaloidea nuncupatur. — Donec substantia haec immutata manet, eousque scirrhus non producit symptomata, quam quae a pressione dependent, sed citius aut tardius substantia illa evadit mollior, liquidior, quae mutatio incipit in nucleo, inde extenditur ultro, et tum incipiunt symptomata cancri occulti transitum in ulcus carcinomatosum accellerare. — Nec eadem forma comparet in partibus organismi scirrhus, sed variat pro varia partis adfectae organisatione, sic e. g. in partibus glandulosis semper formam refert tumoris duri, in nervis forma nodorum, in menbranis mucosis forma polyporum etc. se manifestat. —

§. 10. Praesagium de eventu mali hujus variat, pro vario gradu, sede, individui constitutione, aetate, dispositione, pro varia cum aliis morbis complicatione. Si enim sedem adhuc in una solum glandula scirrhus habeat, si partes vicinae glandulosae, musculares etc. nondum adfectae sunt, si tumor adhuc mobilis, malumque recens et per causas externas solas productum, si individuum est juvenile, morbis non exhaustum, si dispositio exigua, cacochymia carcinomatosa organismo nondum impacta, morbus

pro pure topico habendus, prognosisque fausta statuenda. Dum autem jam scirrhus majora coepit incrementa, cum partibus vicinis concrevit, dum jam dolores evadunt continui, tumor et in vicinas extensus partes, dum individuum est cachecticum, labe quadam systematis lymphatici gravi adfectum, in morbum praesentem magis dispositum, tum cutis tumoris nimium tensa fere nigricans fit vasaque varicose tument, evolutio ulceris carcinomatosi praepediri nequit, prognosisque semper infausta.

§. 11. Cura scirrhi duplex habetur radicalis videlicet et palliativa. — Spes curae radicalis faustae affulget, donec scirrhus est recens, non complicatus, nec ad partes vicinas extensus, procul distante ejus in ulcus apertum transitu. — Perficitur cura radicalis jam resolutione per adplicationem remediorum internorum et externorum, jam operatione chirurgica. Summa primo in casu esset indicatio, causam proximam removere, hoc tamen rarissime in nostra est potestate, cum mutationes internas in metamorphosi vitali, per animi affectus, vitae modum, aetatem etc. productas, per quae experientia teste in carcinoma et dispositio, et ejus evolutio incrementumque sustentantur, non noscamus, cum nos tantum productum, detrimentum, nec ipsum morbosum statum, carcinomatis causam videamus, qua licet saepe detecta unicum tamen solum armata chirurgi manus restat auxilium, quae et ipsa raro effectu coronatur bono, utpotius malorum numerum per regenerationem nodorum scirrhosorum augeat, unde non absque fundamento scirrhus malignus „Noli me tangere" nominatur. Remotio causarum excitantium primum curae efficiat momentum, sic causae mechanice irritantes, ut pessaria, irritamenta chemica, unguenta, emplastra stimulantia vitanda, animi affectus ingrati componendi, morbi evanidi revocandi, emphraxes organorum abdominalium resolvendae, cachexiae protopathicae per therapiam congruam tollendae

erunt. Ideo nec miramur effectum eximium in resolutione scirrhorum per clysmata Kaemphii, extractum taraxaci, hydrargyrum, ferrum carbonicum, fumum cinnabaris, calendulam officinalen etc.

§. 12. Causis excitantibus remotis, morbo tamen perstante, vel et ubi causae detegi nequeunt, indicatio curae a conditione energiae vitalis desumitur, et sic saepe salutaris higienae coordinatio, irritamentorum remotio maximam partem curae perficiunt, sic cel. Calissen refert, scirrhos et cancros pharmacis diu rebelles non raro perfecte sanatos fuisse per solam diaetam strictissimam, dum aegris praeter panem et aquam nihil exhibitum fuisset, auctor scholae Gallicae Physiologicae evacuationem sanguinis in hocce morbo plurimum efficere contendit, interim evacuatio sanguinis licet multis in casibus effectus optimi, saepe tamen labefactatione virium vitalium malum potius exacerbare valet.

§. 13. Ex remediis proin internis talia semper juvabit eligere, quae casui individuali, causae praedominanti nec non constitutioni aegri respondent, sic dyscrasiae: arthritis, syphilis, psora, haemorrhoides etc. suis impugnantur remediis. In genere ea maxime scopo respondent remedia quae gravi in systema lymphaticum efficientia gaudent, quae crasim humorum restituere, metamorphosis vitalis anomalias emendare, phoenomenaque forte per resorptionem virus carcinomatosi producta relegare valent. Satisfaciunt indicationibus his; purgantia antiphlogistica, praecipue Mercurius dulcis; solventia gummiresinosa; Galbanum, ammoniacum, Sagapenum, Mercurialibus vel antimonialibus juncta et cum extractis amaris: gentianae trifolii fibr. taraxaci, absynthii, millefolii, aurantiorum vel sapone in pilulas redacta; Narcotica: Opium, Belladona, Aconitum, Cicuta, digitalis, dulcamara, Nux vomica; Decocta lignorum, graminis, bardanae, Sasaparillae, Zittmani, Pollini, etc. Sac-

pe prodest adplicatio dosi refracta: tartari emet. Kali tart. alcalium, Jodinae, aquae lauroc. tinct Fowleri, etc. Ast et in horum remediorum usu, magna necessum est uti circumspectione, nec increscente morbi malignitate usus eorum continuandus. Gr. A. Weise (Über Zurückbildung der Scirrhen etc. Leipzig 1829) commendat qua vallidissimum solvens scirrhi remedium carbonem animalem, ut qui tumorem resolvat, secretionemque partis adfectae cohibitam restituat, exhibet adultis mane et vesperi Carb. animalis gr. sem. sensim ad grana III. ascendendo pro dosi. Recenter et diaeta summe restricta usui Jodii interno juncta commendatur.

§. 14. In casibus multis, ubi malum pure topicum, constitutio organismi laudabilis, dyscrasiae et complicationes cum morbis aliis absunt, ubi resorptio nondum contigit, morbusque causis solis externis productus fuit, sufficit solum externa adplicare remedia, quae et in plurimis casibus maximam curae perficiunt partem. — Ad remedia externa referuntur: Vapores et fomenta ex aceto, sulfure, cinnabari, flor. Cham. Sambuci; iaunctiones unguentornm: e digitali cum camphora, ungu. mercurialis soli vel opodeldoc juncti, linimenti valatilis camph. cum opio, Ungu. Jodinae, vel cum Kali hydrojodico parati; emplastra resolventia: Ammoniaci, Galbani, Cicutae, belladonae, saponato-camphoratum, diaph. Mynsichti, nigrum Becholzii; cataplasmata resolventia e speciebus pro catapl. cum herba cic. hyosc. sem. papav. albi, e herba cardui tomentosi, clematis erectae, phytolaccae decandrae, bellad. Pulsat. sem. phellandrii aqua. cum aqua saturni parata; fomenta humida e felle tauri inspiss. cum sale ammon. dep. in aqua dest. solutis, extractum cicutae, aconiti, bellad. cum camphora in spir. Mindereri solutum, Gum. ammon. in acet. squill. solutum. — Juvat saepe partem adfectam obtegere sacculis aromaticis; e speciebus emoll. cum camphora para-

tis, panno flanell camphora inlito, pelle cuniculli, Gosypio, linteo moll. Laudatur et compressio ope laminarum agarici intra fasciam compressoriam positi, adplicatio Hirudinum, cucurbit. cruentarum, electricitas, galvanismus etc. Saepe graviditas, morbi varii praecipue exorta febris intermittens sanationem produxerunt.

§. 15. Nec tamen his remediis semper inducitur resolutio, quin potius per longiorem eorum usum constitutio egri labefactatur, eruptioque ulceris carcinomatosi adproximatur. Tutius hinc in morbo evoluto omnibus his remediis auxilium operatio chirurgica constituit, cujus faustus eventus sperari potest, si scirrhus non late est diffusus, mobilis, discrasiae nullae praesentes, malumque pure topicum; Ubi e contra individuum in juventute labe serofulosa adfectum fuit, vel dispositione in phthisim laborat, ubi viri, senes potibus spirituosis nimirum indulgent, ubi dispositio ad tubercula, fungum medullarem, melanoses, ubi mala scirrho similia jam evoluta fuerunt, ubi malum praesens longior praecessit diarrhoea, alvi constipatio, colica; cardialgia, icterus etc. malus semper operationis eventus.

§. 16. Ubi diathesis carcinomatosa cachexiam jam produxit, ubi remedia omnia ad curam morbi radicalem perficiendam incassum tentantur, ubi operatio contraindicatur, cura solum palliativa instituenda erit, qnae praecipue circa symptomatum mitigationem, morbi ulteriorem evolutionem praecavendam versatur. Plurimum efficit hic coordinatio recta vitae regiminis, pharmacorum paucissimorum adplicatio, hic et cura homoeopatica et magnetismus animalis, quibus licet morbus (etsi id saepius affirment) non sanatur sed excitata aegri confidentia, excitata ejus spe levamen malo adfertur, effectuari potest.

Cancer apertus.

Cancer exulceratus, ulcerosus, Ulcus carcinomatosum, Carcinoma.

§. 17. Cancer apertus pariter in primarium et secundarium subdividitur. Prior in sequelam cancri occulti immediate sequitur, posterior oritur ex ulceribus aliis e. g. syphiliticis herpeticis, scrofulosis, excrescentiis cutaneis, condylomatibus, verucis et polypis, partim irritatis, partim stimulantibus remediis tractatis, partim ob alias nondum satis cognitas causas. —

§. 18. Decursus Carcinomatis primarii sequens observatur: tumor scirrhosus magis tenditur, inaequalis excrescentiis refertus conspicitur, cutis prius rubra nunc fuscatur, attenuatur, splendet, hinc inde finditur, dolores fiunt continui intensissimi; epidermide nunc in pluribus locis tumoris decedente, profluit materia ichorosa, tenuis, bruneoflava, serius fusca, sanguinolenta, acris, rodens, odoris specifici, fortis, cadaverosi, quae acrimonia sua morbo evoluto saepe et oculos irritat; Ichor hic chemice a Craword pervestigatus, multum tenet ammonii et gasis hepatici, instrumenta argentea nigro, syrupum violarum viridi tingit colore, addito acido sulf. gas eructat hydrosulfuratum, chloro mixtum odore privatur. — Id characteristici tumor hicce exhibet, quod praegressa cutis ruptura nec duritie nec volumine minuatur, nec dolor mitigetur. Superficies ulceris nimium sensilis dolorifica inaequabilis est, pluribus parvis jam majoribus nimium sensilibus, saepe spongiosis, partim duris partim mollibus excrescentiis obsessa, marginibus cingitur elevatis plurimum extrorsum raro introrsum flexis, inaequalibus, tuberosis, vasa circa ulcus varicose tument. Sub ulteriori morbi decursu prope sitae glandulae, vasa lymph. et partes vicinae solido-molles in consensum trahuntur, perque transitum in exulcerationem, omnem in directionem desorganisantur. Quantitas ichoris

saepe est minor, major sanguinis atri, qui saepe ad libras profunditur, producitur haemorrhagia haec saepe per diabrobrosim, cum per ichorem vasa corroduntur, saepe tamen est productum secretionis morbosae in vasis capillaribus locum habente. Saepe organorum labe hacce adfectorum moles imminuitur, sic mamma sub morbi incremento monstrose tumida successive per consumtionem imminuitur, ita consumitur bulbus oculi in orbita, in cavo pelvis uterus, ut saepe in cadavere vix vestigium ejus reperiatur.

§. 19. Partim ob resorptionem ichoris, partim ob irritationem nervorum, excitantur per cancrum symptomata varia in partibus vicinis ac remotis, sic in cancro mammae adficiuntur organa respirationis, saepe ob morbi in ipsum cavum pectoris extensionem, vel saepe tantum per adfectionem consensualem experiuntur aegri dolores in cavo pectoris, dyspnoeam gravem, vexantur tussi violenta cum secretione jam puriformi, jam cruenta. Per cancrum uteri excitantur dolores intensi in toto cavo abdominis cum vomituritionibus, vomitu, cum urinae et alvi evacuatione molestissima. Saepe per morbum gravem in quacunque parte residentem, systema nervosum graviter adficitur, unde miseri aegri pervigilio, spasmis, delirio, plurimi gravissima adfliguntur melancholia; processus nutritionis ac sanguificationis fit abnormis, cutis flaccida et pallida cerae albae instar fit, evolviturque labes carcinomatica, sub qua non raro exoriuntur symptomata febris periodicae, quotidianae, tertianae vel quartanae, quae consvetis antipyreticis non cedunt. Ita morbus excruciat aegrum adhuc per menses - annos, donec evolutis symptomatibus tabis, hydropis . febris hecticae, mors aegri terminet miserias.

§. 20. In cancro aperto, pro diversitate partis adfectae constitutionis aegri et complicationum varia reperitur fabrica. Partes fibrosae ac lamellosae texturam constituunt variam, et nisi partes plurimae per cancrum diu durantem consumtae fuerint, tunc reperitur subinde praeter illam substantiam fi-

brosam duriorem majori quantitate substantia medullaris, tuberosa, pro parte in ichorem conversa, saepe fungo similis, dicitur fungus medullaris, talis subinde per degenerationem nervi alicujus producitur. In substantia hac medullari per ipsum processum inflammatorium efformantur etiam vasa sanguifera, subinde copiosa, e quibus effunditur sanguis, et sic tota substantia tumoris est rubra, similis placentae sanguinis, e quo tumore aperto effunditnr sanguis majori quantitate, tumor cute tectus colorem rubicundum, subinde lividum habet, vocaturque fungus haematodes. Saepe detegitur in cancro substantia nigra, simillima pigmento nigro oculi. dicitur melaena, rarius et totus tumor scirrhosus e tali componitur substantia, vocatur fungus melanodes. Inveniuntur saepe et partes cartilaginosae, osseae, calculosae et vermes etiam in scirrho et cancro, ita ut A d a m s causam proximam cancri statuerit esse vermes, in specie taeniam hydatigenam, quam tamen doctrinam investigationes recentiornm haud comprobant.

§. 21. Diagnosis ulceris carcinomatosi iisdem quibus cancer ocultus premitur difficultatibus, cum symptomata non possideat ita characteristica, ut non cum aliis ulceribus indolis perversae et neglectis e. g. scrofulosis, syphiliticis etc. facile commutari possit. Interim ad rectam ducent Diagnosim: Symptomata supra allata, comparata cum symptomatibus characteristicis aliorum ulcerum; praegressus cancer occultus investigatio debita ulceris ipsius, ichoris effusi, ulceris carcinomatici textus, (secundum observationes C o l l a r d et M a r t i g n y tenet hic: albumen, gelatinam, substantiam pinguem, phosphorum, aquam et salia) partium adjacentium status, ipsum phoenomenon quo scirrhus in ulcus abit cum non more aliorum abscessuum rumpatur, cavitatemque constituat pure plenam, sed cuti solum secedente, sanies e tumore duro stillat, et serins solum profundius tendat malum, denique et ea observatio, quod ad usum remediorum emollientium, sedantium dolores mitigentur, irritantibus exasperentur, diagnosim illustrabit.

§. 22. Prognosis ulceris carcinomatosi semper est infausta, eo magis cum resorptio virus carcinomatosi mox universalem producat dyscrasiam, vel quia frequenter fit ut haec dyscrasia jam simul cum ulceris evolutione adsit, ulcusque saepe potius pro effectu quam causa diatheseos praesentis carcinomaticae haberi possit, praecipue ubi verum adest ulcus carcinomaticum. Prognosim determinat et organi dignitas, morbi gradus, extensio, causae, complicatio, vicinarum partium status, individui aetas constitutio, praesentia vel absentia passionis universalis. (e. g. febris hecticae, hydropis etc.)

§. 23. Cura ulceris carcinomatosi jam radicalis est, jam palliativa. Radicalis perfici potest, ubi ulcus adhuc notabilem degenerationem non produxit, ubi malum adhue est recens, forte topicum, partes vicinae parum vel nihil adfectae, ubi individuum constitutionis laudabilis nec provectioris est aetatis. Contrarius status palliativam solum admittit curam, licet multi et in hoc casu se curam radicalem perfecisse gratulentur, ast probe notetur multas adfectiones glandularum ut sequelam inflammationis malum cancro summe analogum, nec tamen eum esse.

§. 24. Cura radicalis perficitur jam remediis dynamicis jam operatione chyrurgica, quae posterior tunc tantum felici coronatur eventu, ubi symptomata supra exposita, prognosim bonam determinantia manifesta sunt quibus deficientibus, ulceribusque forte pluribus praesentibus, malum hucdum pro insanabile declaratum. — Ad remedia externa quibus saepe solis cura absoluta fuit radicalis, referuntur praecipue caustica omnis generis, (quae tamen in malo solum superficiali, nec profunde extenso e. g. carcinomate cutis proficua sunt) quorum praecipua; arsenicum, Butyrum antimonii, Kali caust. merc. subl. corr. sed et composita, praecipue pulvis cosmi, remedium a Hellmund detectum etc, — Ad remedia interna cum specifica in hoc malo non possideamus, omnia illa spectabunt, quae individuali singuli aegri statui maxime conveniunt. (Vide remedia interna in scirrho maligno laudata.)

§. 25. Celeberrimae, quae famam ephemeram meruere methodi anticancrosae hae fere sunt.

Methodus a Hellmund proposita, praecipue in carcinomate faciei laudata, his fere absolvitur: Ordinatur.

1. Pulvis sequens:

Rp. Arsenici albi,
Scrup duos,
Ciner. solear. calc.
Grana duodecim,
Sangu, dracon.
Grana sedecim,
Cinnab. fact.
Drachm. duas.
M. f. pulv. subtil.
S. Pulvis Cosmi S. Arsenicalis.

2. Unguentum balsamicum:

Rp. Bals. peruv. nigri
Extr. conii mac ,
ana Unc. semis,
Plumb. acet puri cryst
Scrup. quatuor,
Tinct. opii croc.
Scrup. duos,
Ungv. cerei
Unc. quatuor.
M. f. Ungv.
S. Ungv. Narcotico — balsamicum.

3. Unqueutum compositum e prioribus:

Rp. Ungu. Narcot-bals. (2)
Unc. unam,
Pulv. arsen (1)
Drachm. unam.
M. exactissime,
S. Unguentum arsenicale compositum.

Parte adfecta debite mundata, ulcus molli linteo carpto, unquento arsenicali (3) aequabiliter illinito, ultra ipsos etiam margines sanos, ad crassitiem straminis extenso, obtegitur, quae deligatio omni repetitur die. mox post primam adplicationem exoritur dolor levis sensim increscens, ut et ulceris inflammatio, tumor; quae tamen molestiae mox disparent, ulcus extensione augetur, habitum offert luridum, tumque circa 5, 6 diem exoritur crusta in superficie, remedii igitur usus tamdiu continuandus, donec totum ulcus eschera tectum fuerit, duritiesque marginum disparuerit. Efformata crusta non mox removetur, sed adhuc aliquot diebus unguento arsenicali deligatur. Secedente eschera, ulcus unguento bals-narcot. (2) Deligatur, euraque tota intra 5-7 septimanas absolvitur. (Rust's Magazin Bd 19. Hft. 1. Friedrichs u. Hesselbachs Beiträge zur Natur und Heilkunde Bd 2. Chelius Hbuch der Chirurg Bd. 2. Abth. 2.)

Methodus Cosmi sequens est.

Rp. Cinn. artef.
Unc. unam,
Sangu. Drac.
Unc. semis,
Arsen. albi.
Ciner. sol. vet.
ana Drach. unam.
M. fiat pulv. subtiliss.

Pulvis hic salivae ope in pultem redactus, ulceri mundato et siccato ope spatulae adplicatur. Post adplicationem exoritur dolor gravis, inflammatio, tumor, quae mala adplicatione cataplasm. emol — narc. mitigantur. Decedente eschera si adhuc pars maneat impura, remedii usus repetitur, ulcus depuratum congruis tractatur remediis. —

Utraque methodus magnam exigit circumspectionem ob facilem intoxicationem arsenicalem.

Methodus a Baumann proposita, praecipue in carcinomate labii, faciei efficax, consistit in pulvere ex ana arsenici albi, nitri puri, Kali subcarb. et Rad. aronis alcoh. in quo plumacea e gosypio paratum saliva humectatum eousque volutatur, donec satis ab eo penetretur, tum ulceri mundato adponitur. Post 24 horas inflammatio dolorque gravis exoritur, nec tamen prius desumitur remedium, donec limes separationis partium morbosarum a sanis compareat, sulcus videlicet qui tertio die comparet therebintina et vitello ovi deligatur. Si seperatio 6 - 8 diem non subsequatur, remedium parti adfectae denuo adplicatur, tumque cura unguento thereb. terminatur; diaeta tempore curae sit antiphlogistica. (Dierbach l. c. 2. Abth. S. 707. Salzburg. Med. Chir. Zeit. 22 Ergänz — Bd.)

Le Febure sequens ordinat remedium; grana duo arsenici teruntur sacharo et in 2 libris aquae solvuntur, quod externe partim forma fomenti partim lotionis adplicatur, interne, mane cochl. uno cum Unc. una lactis et Drach. sem. Syr. papav. albi exhibetur. (Samml. äuserl. Abth. f. pract Aerzte Bd. 2. S. 4.

Panacea anticancrosa Franc. Xav. de Marc constat e ferro, Sale ammon. spir. vini, oleo tart. et spir. vitr. quo remedio ulcus et ejus margines humectantur, exhibitis interne floribus sal. ammon. mart. (Justamond a. a. O. Dess. Tract. de Cancro, Vienn. 1777.

Praeparata auri; jam aurum limatum jam muriaticum, tam externe, quam interne adplicantur, prius interne a gr 2 — 5 posterius ab ⅛ parte grani — gr. 4; externe a gr 4 cum unc. una adipis redacta in ungv. adplicantur. (Hufeland's Jour. 1823. Juni).

Cuprum sulfuricum, externe forma pulv. adplicitum, ut et praeparata opii laudantur. (Hufeland's Jour. 1826. Mai.)

Stein et Westring laudant Decoct. Calend. off. ex Drachm. una ad Col. Unc. octo paratum, externe succum recenter expressum plantae ejusdem forma linimenti.

Ullmann Profess. Marburgensis laudat Kali hydrojod. in unguento.

Chreston adplicat in carcinomate labiorum exterrne, infusum fol. lauroc. ex Unc. quatuor in aquae libris duabus.

Horn in carcin. mammae et uteri, lotiones cum acido borussico diluto proponit. (Horn's archiv 1822. Bd I. S. 34.)

Anglici medici laudant ferrum hydrocyanicum forma unguenti. (e ferri hydroc. Drach. una et uugv. Cetac. unc. una.)

Segalas d' Etchepare laudat natrïum chloratum, topice forma diluta.

Weise qua specificum commendat, carbonem animalem tam externe quam interne porrectum, exhibendo mane et vesperi hujus grana duo, externe ulceri ejus marginibusque adspergendo. (Dierbach, neueste Entd. in der mat. med. 1829. 2 Abth. S. 546.) Denique et ferrum candens, moxa, pruna candentia, specula caustica, saepe cum usu adhibita fuerunt.

Kankoet pastam e Chlor. Zinc. Drach. duab. antim. chlor. Drachm. una, farin. trit. Drach. trib. et aquae q: s. ut fiat pasta, externe adplicandam commendat.

§. 26. Operatione contraindicata, vel facta exstirpatione ulcere tamen recrudescente, causticis incassum tentatis, palliativa suscipitur cura, quae experientia remedia statui praesenti accomoda, porrigit, sic ad mitigandos dolores narcotica, erethismo praesente aquam lauroc. Elix. acid. Hall, praesente febri hectica nutrientia Valerianam, Calamum arom. Chinam etc. exhibet. Specifica quadam indole sopit dolores nimios, adplicita externe solutio hepat. sulf. cum extracto hyosc. adplicatio foliorum hyoscyami, plantaginis etc. recentium. —

LITTERATURA.

Tissot, Diss. de Scirrho. Lugd. Bat. 1718.

Grashuygs, Exercitatio medico-chirurg. de Scirrho et cancro. Amstelod. 1741.

Peyrilhe, Diss. de cancro: quam duplici proemio donavit illustr. academia scient. humaniorum, litterarum et artium Lugdunensis. Paris. 1774.

Jaenisch, von dem Krebse und dessen Heilart. Petersburg. 1793.

Adams, Observations ou the cancereous breast. London. 1801.

Çar-Michael, Essay on the effect of carbonate of Iron upon cancer. Lond. 1806.

W. Leurs, von dem Krebs. (Samml. äuserl. Abh. für. pract. Aerztr. a. d. Holländ. 18 Bd. S. 163.

F. J. L. Rouzet, Recherches et observations sur le cancer. Paris. 1818.

A. Scarpa. De Scirrho et cancro (Annali univ. di medicina, ab A. Omodei. 1823. Febr. p. 197.)

Walther, über Verhärtung, Scirrhus, harten und weichen Krebs, Medullar-Sarkom, Blutschwamm, Theleangiektasie, und Anevrysmen per Anastomosim. (Gräfes Jouru. 5. Bd. 2 Heft. S. 198. 4 Heft. S. 563.)

Récamier, Recherches sur le traitement du cancer pur la compression methodique simple ou combinée, et sur l' histoire génerale de la méme maladie. Paris. 1829.

THESES DEFENDENDAE.

---

1. Corporis animalis pars singula propriam vivit vitam.
2. Typus morborum stricte intermittens non existit.
3. Cutis organon respirationis secundarium.
4. Nosotomiae in therapiam rationalem influxus summus.
5. Somnus post pastum captus nisi pigritiei favet.
6. Sulfur se habet ad hydrargyrosim ut mercurius ad syphilidem.
7. Partus serotini possibilitas datur.
8. Membrana vasorum fibrosa non muscularis est, hinc nec irritabilis.
9. Ulcus carcinomatosum propriis instruitur symptomatibus nec facile cum aliis ulceribus confundi potest.
10. Summa medici virtus — humanitas.
